AD

Auguſtiſſimum Invictiſſimumque,

MAGNÆ BRITANNIÆ

REGEM

Gulielmum Tertium.

REX *GULIELME*, atavûm veniens qui a ſtirpe piorum,
Tranſcendis Pietate atavos, (queis gloria, divûm,
Eſſe genus, non prima fuit, ſed numina magni
Quod caſtè coluêre dei, puræque Patroni
Relligionis erant: tamen hos tu laudis obumbras
Præradians fulgore tuæ; faſtigia virtus,
Supra hominum tua clara volat;) Rex optime Regum,
Quotquot in orbe comam rutilo diademate cingunt;
Quo fletu riget ora gemens! quo pectora planctu
Tundat ubique, ſuos laſſans feriendo lacertos,
Anglia, tu vitam Æoliis dum credere ventis
Feſtinas, fragilique altum tranſcurrere ligno
Ad Batavos, tua primum ubi Phœbum infantia vidit,
Reptatumque ſolum puero. Quæ gaudia contrà
Jam Batavâ in regione vigent! quantum illa futuris
Prægeſtit lætata bonis, formidine miſtâ,
Depoſitum tam grande vagis dum creditur undis,
Inſtabiliſque freti hoſpitio! tu cernere vultus
Das ubicunque tuos, ibi læta ac vivida gaudent
Omnia. Queis ego nunc precibus votiſque fatigem
Æthera? Magne Pater divûm, tu numine ſervum
Perpetuo ſervare tuum dignare, per omnes
Dux ades uſque vias *GULIELMO*, & per vada vaſti
Incolumen tutare Maris, tutare per alti
Regna infida ſali, & ponti revolubile marmor.
Jamque ubi concurſu rapido dat utrimque fragorem
Pugna, ſalutiferi ſerva hunc munimine ſcuti.
Daque Hoſtem domitare trucem, da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulſam
Semiviri Galli, & fædare in pulvere crines,
Aut agitare ſui trepidantem ad fulgura ferri:
Et decorare novis Flandros Bataveſque trophæis.
Atque inimica pede ut preſſit, ceu vile ſcabellum,
Colla, redire ſuis hilarem lætumque Britannis
Victrici decorante caput venerabile lauro;
Sævaque ſoſpes agat celebrem poſt bella triumphum,
Aurea jam edomito redeant quod ſæcula Gallo,
Gallo, cujus ubique furor ſine lege cucurrit.
Vivite (jure precor) *GULIELME*, atque unica tanto,
Digna, *MARIA*, Viro, longum feliciter ævum;
Neſtoreamque procul ſenio tranſcendite vitam,
Præſidium Populi geminum & tutela Britanni.

Libenter Offert

G. H.